

ANNA MACIEJEWSKA
(Łódź)

AD ANNAM MARIAM KOMORNICKA
ANNOS TER TRICENOS COMPLENTEM

Dum Tibi omnes hodie propinant,
die natali splendidae aetatis,
multa dicentur Tua de doctrina
deque his actis a Te adcuratis,
quae collaudare digniores sinam;
promere unum erit mihi satis,
donum, quod λόγου φίλοι servant veri:
carmine semper capi ac moveri.

Nomine loqui velim alumnorum,
quos docuisti colere hoc donum,
uti legentes Pindarum canorum
perciperemus lyrae eius sonum
(nec – non tam raro more professorum –
– numerum solum annotationum,
instrui quibus quodque possit verbum,
ipsum Homerum reddat quod acerbum).

Facti doctores, Tuo exemplari
vates conamur sic interpretari,
ut iuventuti quoque nunc sint cari,
ut aliquando illi aestu pari
aliis artem suadeant mirari.
Quare es digna pluries laudari,
a qua haec via est monstrata bona,
Anna Maria, nobilis patrona!

ARGUMENTUM

*In carmine celebratur profestricis Anna Mariae Komornicka mira facultas
antiquorum poetarum virtutes cernendi atque auditoribus monstrandi.*